

MANSFELDIAE Comitatus nomen haud obscurum est, à metropoli eiusdem in eo nominis sic appellata, quæ ipsa à Manno Tuisconis filio nomē accepisse traditur. sonat autem Manni campum. huic opinioni suffragari videtur huius vicinus locus Afcaniæ, qui Ascenes Germanorum patris nomen referre videtur. Saxonum enim hi populi sunt, & inter Hermunduros numerandi censentur. Hertici hodie, & Hergschén, aut Hargländer/ ab Hartone sylua Hessos, Thuringos & Saxones discernente nominantur. Regio est superiori Saxoniz inter Salam amnem ac VViperum inserta, Complectitur autem huius Mansfeldensis Comitatus territorium in se complura dominia, vtpote principatum Anhaltensem, Palatinatum Saxonicum, Comitatus Arnstettensem, VViprensem quem Cherusci olim tenuisse creduntur, VVerhinensem, Quernfurtensem, Ballenstedensem, Afcaniensem, Stolbergensem, Arnsteinensem, Reinsteinensem: ac præter hos dynastias, collegia Canonica, Baronatusque aliquot; quæ pleraque olim peculiaribus suis subfuere Comitibus ac Dominis: nunc verò vix alium præter Comitē Mansfeldensem agnoscunt. Loca autem montana, Meliboci montes antiquioribus Geographis dicti sunt, syluis hinc inde conspersi. Aer bonus ac salubris Terra frumenti satis ferax, Eius tamen viscera diuitiarum plus quam superficies habent. Eruitur enim ex eius montibus propè Mansfeldiam, Islebiam, ac Hochsteten, lapis niger ac fissilis, cuiusmodi is est, quo in laminas tenues secto, tegularum loco vtimur, nonnullis ardoræ vocantur, is picis ærisque plurimum obtinet, ac metalli minimè occulta habet indicia, conspicitur enim inspersus auri cuprive color. Hunc itaque ingenti copia erutum ex montibus, lignis que circumpositis, vna exurunt: incensus autem odorem emittit eundem quem Lithantrakes, seu Carbonarij lapides: at si contingat placidas pluuias ignem conspergere, tantum abest vt extinguatur, vt maiores etiam flammæ excitet, lapisque eò citius liquefcit, quod bituminis picisve non obscurum est indicium. Neque hoc tacendum videtur, cum ludentis naturæ miraculum non immeritò videri queat, quòd is lapis manifestas ostendet inspicientibus animalium ferè omnis generis effigies, ramentis ac lineamentis aurei coloris, ita vt quoduis primo intuitu dignoscere queas. Affirmant nonnulli, eorum saltem animalium quæ propinquus gignat lacus, eum præ se ferre imagines, cuiusmodi sunt piscium, anguillarum, carpionum, ranarum. Verum alij perhibent etiam aliorum animantium figuras eum exhibere ad vnguem, vtpote gallorum gallinaceorum & Salamandarum: quin & in quodam eorum lapidum Pontificis cuiusdam barbati effigiem, vt triplici diademate ornatam multis conspectam aiunt. Hæc loca Tubantes populi olim habitasse creduntur. Regionis caput est Mansfeldia, ad VViperum amnem sita. Vrbes post hanc habet præcipuas Islebiam, Quernefordiam, Rotenburgum. Alstadium ac complures alias. Fluminibus rigatur Sala, VVnstrut, duobus tribusve VVipperis, ac infinitis alijs riuulis, torrentibusque ignobilioribus. Latus Orientale Misnia claudit. Meridionale partim Misnia, partim Thuringia cingunt. Occidentale Hassia, Hartoque ad Melibocum montem excipiunt, vbi Svvarthenburgensis & Stolburgensis Comitatus, item Sangerhusi, Anhaltiz, & Assenburghij principatus confines habet. Septentrionale autem latus Saxoniz superioris Ducatus terminat.



